

tibus, quod repugnat actui puro, et primo enti, quia omne compositum est dependens a partibus, et partes a toto, et totum est majus suis partibus, in eo autem quod est actus purus, non est aliquid majus, aut perfectius, vel dependens, quia illud quod est minus, hoc ipso non est actus purus, cum non habeat summam perfectionem, sed est in potentia ad totum, quod est majus, et perfectius illo, ubi autem est aliquid potentialitatis, deficit ratio actus puri. Unde similiter caret quantitate, quia hæc sine partibus, et divisibilitate non datur.

Quarto, demonstratur quod sit intelligens, quia ratio intelligibilitatis provenit ex immaterialitate. Et præterea nobilior motus operandi est per intellectum qui dirigit, quam cum ignorantia, vel ex directione alterius. Primum autem efficiens cum sit immobile, a nullo alio dirigitur et movetur, et cum sit purus actus, habet perfectissimum modum operandi.

Quinto, ostenditur primum motorem esse ubique, quia ejus virtus est infinita, et attingit omnia entia, et omnia moventur, et dependent ab illo, non quacunquē dependentia, sed in omni ratione essendi, et tali influxu, quod per ejus suspensionem quocunquē ens annihilaretur, qui influxus non potest esse mediante aliqua creatura, sed immediate a Deo, ergo est immediate præsens omnibus.

Sexto, ostenditur esse sempiternum, quia est immutabile et a se habens esse, ergo semper habuit esse sine ulla mutatione, quod est esse æternum.

Ultimo, sequitur esse unum: tum quia si essent duo primi motores, vel quilibet faceret idem quod alter æqualiter cum ipso, et sic alter superflueret, nihil autem absurdius, quam ponere Deum superfluum;

vel non faceret idem, neque æqualiter cum illo, et sic non esset æqualis perfectionis, unde unus esset perfectior alio; et perfectio, quæ esset in uno, deesset alteri, atque adeo neuter esset summæ et infinitæ perfectionis, quod est non esse actum purum neque ens increatum.

Plura de his tractare pertinet ad Metaphysicos, lib. XII, et ad Theologos I p. usque ad q. XXVII. Nobis sufficit hæc breviter attigisse; quia raptim a Philosophia ex ipso motu deducuntur, ea quæ tractat Aristoteles tum in hoc libro VII, tum in XII Metaph. Ut tamen perfectius reductio, et subordinatio causarum inferiorum ad primam causam intelligatur, sequentibus duabus quæstionibus de subordinatione causarum principalium, et instrumentalium agemus, quod a secundo libro ad hunc locum transtulimus.

QUÆSTIO XXV.

DE SUBORDINATIONE CAUSÆ SECUNDÆ AD PRIMAM.

In subordinatione causarum a Deo possumus tria considerare, scilicet dependentiam effectus causæ inferioris a superiori. Secundo, dependentiam ipsius causæ inferioris a superiori in causando, nam in essendo dependet ut effectus. Tertio, dependentiam ordinis in ipsis causalitatibus, ita quod omnia subiciantur ordini, et directioni divinæ causalitatis, et nihil per accidens fiat respectu Dei. De his tribus agemus in præsentia. In primo articulo de concursu simultaneo, qui influit in effectum simul cum causa secunda. In secundo et tertio de prævio movente causam secundam ad causandum. In quarto de causa per accidens, et de facto.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit concursus simultaneus, et quomodo distinguatur a concursu causæ primæ?

Negavit Durandus in II, distinct. I, quæst. V, et dist. XXXVII, quæst. I, Deum concursu simultaneo operari concomitanter cum causis secundis earum effectus. Et fundamentum est id, quod in hoc articulo præcipuam ingerit difficultatem. Primum, quia non potest Deus concurrere ad effectum causæ secundæ, neque eadem actione creaturæ, neque diversa. Non eadem, quia una et eadem actio non potest procedere a duobus agentibus perfectis, et totalibus, ita quod ab utroque tota dimanet, imo si est eadem actio creaturæ, et Dei, ergo illa actio in quantum creaturæ, non est effectus Dei, nec causata a Deo, quia idem non potest causare seipsum. Nec potest esse diversa actio, quia sic haberet diversum terminum ab actione creaturæ, vel si eundem haberet, produceret rem productam et sic superflueret.

Secundum fundamentum est, quia non est aperta implicatio, quod aliqua creatura agat sine concursu Dei, sicut enim communicavit causis secundis virtutes operativas in actu primo, ut non solum essent instrumenta, sed causæ principales, cur non potuit communicare tam perfectam virtutem, quod non indigeret concursu Dei? Si autem hoc potuit, unde constat non fecisse? Nec propter hoc tollitur, quod Deus usque modo operetur, operatur enim tum res illas, quas se solo producit, ut animas quas creat, gratiam quam largitur; tum etiam ea quæ fecit, conservando.

Ultimum fundamentum sumitur

ex aliquibus actionibus, quæ non possunt immediate esse a Deo, sicut, v. g. actiones peccaminosæ, quatenus tales a Deo non sunt, similiter actiones vitales, et liberæ sub illa formalitate vitæ, et libertatis non sunt a Deo, quia non denominantur vitales, nisi prout sint a principio intrinseco, et proximo; imo generationes, et mutationes sub illo modo, quo sunt a creatura, non sunt a Deo, ergo saltem quantum ad illum modum aliquid non eget concursu Dei. Denique, causalitates causæ formalis, et materialis non sunt a Deo, alias diceretur Deus formaliter, aut materialiter causare, quod illi repugnat: ergo non omnis causalitas est a Deo, cur ergo omnis actio?

Nihilominus certa, et concors est Theologorum et Philosophorum sententia: Causas secundas indigere concursu simultaneo causæ primæ in ordine ad omnes suos effectus, præter ipsam dependentiam talis causæ in essendo a causa superiori. Et hoc constat, tum auctoritate, tum ratione. Auctoritate quidem, nam id aperte testatur Scriptura, ut cum dicitur Isai. XXVI: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*: et Joan. XV: *Sine me nihil potestis facere*: et Act. XII: *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus*: et ad Ephes. II: *Deus est enim, qui operatur in nobis velle, et perficere, etc.* Ratione quoque id constat, quia omne ens quocunquē modo sit, a Deo participatum est, et derivatum, sed effectus ipse, et actio sunt entia quædam creata, ergo a Deo sunt participata, ergo actio nostra, et effectus illius etiam a Deo debet procedere, indiget ergo causa creata in quocunquē effectu concursu Dei simultaneo, qui magis requiritur propter effectum, qui est ens participatum a Deo, quam propter ipsam causalitatem causæ secundæ. Et hu-

ius signum etiam est, quia si Deus suspendat concursum, effectus non erit, siquidem non potest aliquid habere esse, si Deus non communicet illud, alias non posset Deus annihilare effectum aliquem causæ creatæ; annihilatio autem non fit nisi per suspensionem concursus, ergo si effectus non indiget concursu Dei non sunt annihilabiles per suspensionem ejus. Et inde est quod ille concursus Divinus debet identificari cum concursu causæ creatæ, quia tendunt ad eundem terminum, siquidem ipsemet effectus, qui est a concursu causæ creatæ, dependet etiam a concursu Dei, quia per suspensionem ejus potest desinere, ergo oportet quod in eodem termino conveniant uterque concursus, et hoc est identificari rationem ejusdem termini, quem producent.

Ad primum fundamentum Durandi dicimus cum D. Thoma 1 part. quæst. cv, art. v ad 2, quod una actio non procedit a duobus agentibus unius ordinis, sed nihil prohibet quod una, et eadem actio procedat a primo, et secundo agente. Hoc tamen est quod difficile percipitur, quomodo illa actio elicitive possit procedere ab illo duplici principio, cum non possit esse a Deo, nisi tanquam effectus habens esse ab ipso Deo, non tanquam ipsa ratio agendi; si autem est effectus, ergo efficitur ab aliqua actione, et sic non identificatur cum illa, et ulterius ad actionem dabitur actio, siquidem actio creaturæ est effectus actionis Dei. Si vero dicatur quod actio illa creaturæ non est effectus Dei, sed actio, seu ratio operandi, non apparet quomodo illa actio dimanet immediate a Deo ut actio, et non ut effectus, nihil enim dimanat a Deo, nisi ut effectus, et non ut actio, ut determinat D. Thomas 1 p. q. xxv, art. v, cum actio Dei, ut

distinguitur ab effectu ad extra, sit substantia Dei.

Quare dicendum est, quod illa actio creaturæ dicitur etiam concursus Dei respectu effectus, in quem influit, sed iste influxus cum sit temporalis, et non ab æterno in Deo, non constituit formaliter intrinsece Deum agentem, quia non se habet ut actualitas ejus, sed ut effectus. Et non est inconveniens, quod actio temporalis sit effectus actionis æternæ, licet ad actionem temporalem, et creatam non detur alia actio temporalis etiam et creata, eo quod immediate dimanat ab agente; bene tamen ista actio temporalis supponit actionem æternam, quæ est radix omnium actionum et effectuum, et cujuscunque entitatis, et sic actio creaturæ ut actio, est participatio quædam et effectus actionis Divinæ, sicque non repugnat actionem illam esse effectum respectu actionis Divinæ, esse autem actionem, et non effectum respectu potentie creatæ. Quando ergo dicitur quod actio illa jam non dicetur eadem cum concursu Dei, respondemus quod est eadem cum concursu Dei ad extra, qui est effectus, et participatio Divina, licet distinguatur ab actione increata, et æterna Dei, cujus est participatio, et effectus ad extra; et ad talem actionem, seu concursum datur actio ut dictum est, non quidem actio temporalis, sed actio increata, et æterna, sicut supra q. xiv, art. iv, diximus de actione ex parte agentis, et ex parte effectus. Et sicut forma substantialis operatur effectum non per distinctum concursum a concursu suæ virtutis, dicitur tamen concursus formæ, seu animæ magis generalis, quia ad plures effectus, et virtutes se extendit, sic Deus se habet cum toto universo, et collectione creaturarum, cum quibus concurrit eodem concursu, quod ipse creaturæ, et ta-

men quia Deus ad omnes se extendit, et non ad istam solam restringitur, sicut ipsa virtus determinata creaturæ, concursus Dei dicitur generalis, unde dicit D. Thomas III cont. Gent. c. lxx: « Quod sicut non est inconveniens, quod una actio procedat ex agente, et ejus virtute, ita non est inconveniens quod producat idem effectus ab agente inferiori, et a Deo, ab utroque immediate, licet alio, et alio modo. »

Sed inquire: An iste concursus Dei simultaneus sit partialis simul cum concursu causæ creatæ, ita quod aliquid correspondeat concursui Dei, aliud actioni creaturæ, et similiter an isti concursus omnino adæquantur inter se, ita quod unus non magis se extendat, quam alter, videmus enim quod actio creata cessare potest ipso effectu producto, actio tamen Divina non cessat, quia conservat effectum sine causa creata. Quod si ita est, ergo non est unica, et indivisa actio, si quidem cessante una, non cessat alia. Si vero totaliter imbitur, et adæquatur concursus simultaneus actioni causæ secundæ, ergo ille concursus, et actio Divina se sola non poterat producere totum effectum, sed partialiter tantum, et dependenter a causa creata, quod est partialiter Deum concurrere, nec ut causam totalem. Nec potest explicari, quid correspondeat tali actioni ut est a concursu Dei, et ut est a creatura.

Respondetur P. Suarez disp. xxii Met. duo dicere: alterum sect. 1. n. xxiii, quod concursus Dei, et creaturæ potest partialis dici non ex parte effectus, quasi una pars effectus fiat ab uno, et pars ab alio, sed partialiter ex parte causæ, quatenus neutra causalitas habet totum concursum, sed ex utraque integratur. Secundum est sect. iv, n. viii et ix, quod Deus in hoc concursu taliter

se accommodat, quod non posse illo concursus se solo producere effectum, sed cum causa creata. Apertius docet Molina Deum, et creaturam se habere ut causas partiales, sicut duo trahentes navium, vel lapidem, de quo videri potest 1. p. q. xxiii, art. iv et v, disp. i membr. vi, et in concordia, pag. lx et lxi et clxxi, et aliis, quod videtur sequi Martinez II Phys. q. iv, in consecrariis, ubi inquit, quod concursus causæ secundæ nullatenus pendet a concursu primæ, quia sunt idem, dici tamen recte posse Deum at creatura quodammodo in operando dependere, non quidem dependentia rigorosa, sed quatenus limitat summum concursum ad creaturam, et concursus Dei a concursu creaturæ dependet.

Nihilominus nulla partialitas in concursu Divino ponenda est, neque ex parte effectus, neque ex parte causæ, vel actionis. Non ex parte effectus, quia si una pars effectus fieret a Deo, et alia pars a creatura, ita quod ista secunda pars non esset a Deo, non omnis ratio entis creati esset a Deo, quod repugnat. Non ex parte causæ, quia sic in ipsa actione, et modo operandi Dei daretur aliqua limitatio, et dependentia quatenus illa actio Dei non potest de facto operari, nisi dependenter a concursu alterius causæ. Et explicatur implicatio in hoc, quia causalitas Divina est causalitas causæ universalissimæ, quæ attingit omnia, quæ sunt in effectu, cum omnia ex participatione illius sint, ergo repugnat, quod ex parte causæ ille concursus sit partialis, et multo minus dependens ab altero concursu causæ secundæ, siquidem propter suam universalitatem omne illud attingere debet, quod attingit ipsa causa secunda, ergo ex parte causæ, et modi causandi universalissimi repugnat, quod partialiter attingat effec-

tum et dependenter; quia propter suam universalitatem causa secunda dependet ab ipsa, et subicitur illi, non e contra; et licet non sine illa producat, tamen quia hoc ipsum non est ex indigentia causæ primæ, sed ex abundantia, et participatione ipsius, ideo hoc non est dependenter operari a causa secunda, sed causam secundam a Deo; unde per suspensionem talis concursus, quo Deus continuat esse effectus, annihilabitur, non ergo est partialis etiam ut procedit a causa, sed modo totali procedit.

Quare dicendum est, quod concursus simultaneus identificatur cum actione creata, sed non adæquatur illi, sicut ens identificatur cum vero, sed non adæquatur illi, identificatur enim etiam cum bono, et corpus identificatur cum uno modo, verbi gratia, sessione, sed non illi adæquatur; identificatur enim etiam cum aliis modis, et potest illum amittere. Sic licet ex parte rei faciendæ concursus Dei determinetur per concursum causæ create ad operandum talem effectum, cum possit etiam alios; tamen ex parte modi operandi ita universalis, et illimitati, non adæquatur ipsi causalitati creatæ: tum quia sine concursu creato potest rem producere; tum quia cessante actione creata permanet concursus Divinus conservando rem productam, quod evidentius apparet in concursu cum instrumento, cessat enim agere instrumentum producente gratiam, et non cessat actio Dei illam conservans. Dicitur autem, quando Deus producit se solo effectum, specialiori modo producere; non quia majori concursu producat, sed quia modo magis extraordinario, scilicet impediendo causam creatam, aut non concurrendo cum illa.

Ad secundum fundamentum respondetur, implicare quod aliqua

creatura operetur sine concursu causæ primæ, sicut enim est contra rationem entis creati, quod in essendo non sit participatum, et dependens a Deo: ita repugnat quod causa creata in causando non sit dependens a Deo, et ita hoc non potest communicari causæ creatæ propter limitationem illius; et ita implicat non dependere a concursu Divino, quando producit, sicut repugnat non esse creaturam cum sit effectus creatus, ut ostensum est.

Ad ultimum respondetur, imprimis quod omnes illæ actiones, quæ non sunt deficientes, seu peccaminosæ, totum positivum quod habent participant a Deo, alio tamen modo, quam a creaturis, non quod ipse modus procedendi a creaturis non sit etiam a Deo, cum aliquid entitatis sit, sed quia ille modus est a Deo, ut effectus participatus ab ipso, non ut ratio, sub qua participatur, et ita est a Deo ut *quod*, seu ut quid participatum, non ut *quo*, seu ut ratio sub qua participatur a Deo, quia a Deo sub modo universalissimo causæ primæ descendit, non sub illo particulari, et limitato, quo est a creatura. Et ita vitalitas, libertas, et reliqua, quæ ibi numerantur, a Deo sunt tanquam aliquid factum, et participatum ab ipso, non illo inferiori modo, et particulari, quo a causa proxima, unde accipiunt denominationem vitalis, et liberi, sed universalissimo modo, et illimitato, quo a Deo fiunt omnia, etiam ille modus particularis, et limitatus, sicut etiam dicuntur res contingenter accidere, quæ contingunt a Deo, non tamen contingenter. Actus autem peccaminosus etiam ultra hoc, licet in eo quod habet positivum, et entitativum dependeat, et participetur a Deo, tamen quantum ad id, quod habet de deficientia, et privatione, et in quantum illam fundat, non est a Deo.

Ad id vero, quod dicitur de causalitate materiali, et formali, respondetur etiam Deum concurrere ad istas causalitates, quia aliquid reale sunt, et ab eo participatum, de quo D. Thomas in libro de causis, lect. 1. Cæterum impossibile est, quod Deus concurret tanquam causa prima materialis, vel prima formalis, non solum, quia non concurrat ad componendum aliquid totum; hoc enim est clara et manifesta imperfectio, sed etiam quia non concurrat illo modo causæ materialis, et formalis, ut inter se mutuo causalitates exercent recipiendo, aut informando, ut videtur intendere Fonseca v. Met. q. xii, quem bene impugnatur Suarez disp. xxii Met. sect. 1, num. xxix. Etenim licet Deus concursu effectivo causet ipsas causalitates materiæ et formæ quatenus aliquid reale, et entitativum sunt, tamen per modum causæ materialis, vel formalis, id est, exercendo tales causalitates, impossibile est, siquidem causalitas materiæ est receptiva, et fundatur in potentialitate recipientis; causalitas autem formæ est ejus actualio, quæ fundatur in actualitate appetente potentiam, eique communicabili, quod totum repugnat actui puro, qui ex ipsa ratione actus puri ita abstrahit ab omni potentialitate, quod neque in se illam habet, sicut materia, nec illi commisceatur sicut forma. Quando vero Deus sine subjecto sustentat accidentia in Eucharistia, non sustentat illa concursu materiali recipiendo illa, sed concursu effectivo, quo dependebant a Deo, et conservabantur in esse, etiam sine subjecto conservantur a Deo, eo quod illud magis dependet a Deo quam a subjecto. Nec Deus supplet causam formalem se ipso, sed solum rationem formæ terminantis, ut subsistentiam, et existentiam, aut specialem intelligibilem, ut in beatiss.

Ex dictis colliges, quomodo actio causæ secundæ sit causata a prima, vel posterior illa, in quo subjecto concursus Divinus subicitur. Dicitur enim, quod actio causæ secundæ non est causata ab actione externa Dei, quia est una et eadem actio creaturæ, et Dei licet prout correspondet Deo non adæquate identificetur actio Dei cum actione creaturæ, sed solum inadæquate, quia magis se extendit, et durat actio Dei ad extra, quam actio creaturæ, scilicet quamdiu durat effectus. At vero respectu actionis Dei immanentis, et æternæ, quæ in ipso est, sic omnis actio creaturæ causata est ab ipso, sicut omnis concursus Dei ad extra, et consequenter datur prius, et posterius inter actum Dei immanentem, seu ad intra, et inter concursum, et actionem Dei ad extra, sicut inter causam, et effectum. De subjecto vero concursus Divini simultanei si loquamur de ipso pro actione immanente Dei, est in ipso Deo tanquam volitio ejus, et substantia ejus, si vero loquamur de concursu ad extra qui est effectus Dei, qui identificatur cum ipsa actione creata, in eodem subjecto est, in quo est actio creata; scilicet in subjecto, in quo est effectus ejus.

ARTICULUS II.

Utrum detur realis, et physicus concursus prævius in causa determinans illam ad causandum?

Nomine concursus physici non intelligimus concursum solum pertinentem ad ens naturale, et mobile, neque ut putavit Suarez libro iii de Auxiliis, c. vii, concursum coarctantem ad unum, ita ut sub illo causa creata amittat potentiam ad aliud, sed nomine concursus physici intelligimus duo. Primo, motionem

non metaphoricam, neque fictam, neque solum moralem, qualis fit persuasione, vel propositione objecti, sed illam, quæ fit secundum realem activitatem, quo sensu accipitur hæc vox physica, seu naturalis apud sanctos Patres ut patet in D. Cyrillo in defensione tertii anathematismi contra Nestorium, et habetur in Concilio Ephesino in iv appendice quinti tomi, cap. 1. Secundo, intelligimus nomine talis concursus illum, qui nullo modo immutat modum operandi causæ inferioris, sive sit modus operandi indifferenter, sive necessario, sed conservat illum, solum autem tollit indeterminationem, et suspensionem ad agendum.

Et inadvertenter P. Suarez lib. 1 de Auxiliis, cap. xi, num. iii, in fine, dixit neutiquam reperiri apud D. Thomam causam primam determinare secundas ad omnes actiones earum; multoque minus reperiri apud D. Thomam mentionem physice prædeterminationis. Oppositum tamen evidenter constat, dicit enim D. Thomas II Physic. lect. viii, super text. xlviii: « Quod sicut potentia motiva quæ est ad utrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitivam determinetur ad unum, ita nihil quod est ad utrumlibet exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad unum, quia id quod est ad utrumlibet, est sicut ens in potentia, potentia autem non est principium agendi, sed solum actus unde ex eo, quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquid aliud, quod determinat ad unum. » Qui locus manifestissimus est pro isto prævio concursu determinante causam ut agat. Idemque confirmat sanctus Doctor I par. q. xix, art. iii ad 5, ubi inquit: « Quod causa, quæ de se est contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; » ubi loquitur de determinatione causæ ante ipsum effectum,

quæ uno nomine vocatur prædeterminationis, et sic illam vocat S. Dionysius v c. de Divinis nominibus, et ibi S. Thomas lect. iii, ubi dicit: « Voluntatem Divinam esse existentiam prædeterminativam, et effectivam. » Ac denique videri potest S. Thomas in quæstione iii de Potent. art. vii ad 7, ubi præter formam, et virtutem collatam rebus naturalibus dicit: « Aliquid per modum incompletæ motionis, et ad modum esse intentionalis superaddi a Deo ipsi causæ ut agat. » Qui locus adeo est expressus, ut P. Suarez citato loco, n. vi, non invenerit quid respondeat ad illum, nisi quod D. Thomas tacite retractavit sententiam, quia prætermisit in aliis locis hanc motionem, quam in isto loco posuit; quasi vero hoc sit tractare sententiam, non in omnibus locis eam explicare; præterquam quod in I-II, q. cx, art. ii, dicit D. Thomas: « A Deo movente aliquid fieri in anima per modum motus, licet non per modum qualitatis ad volendum, vel agendum. »

Cum ergo constat apud D. Thomam et Auctores probatos, quid nomine prædeterminationis, et concursus prævii intelligatur, restat videre an ita sit quod detur, et requiratur ad omnem actionem causæ creatæ. Et quidem generaliter loquendo communissime receptum est apud Philosophum quod causa secunda non operatur nisi ut mota, et applicata a prima ad agendum; de quo videri potest D. Thomas II p. q. cv, art. v et I-II, q. lxxvii, art. I ad 3 et q. cix, art. I, III contra. Gent. cap. lxxvii et alibi sæpe. Et quod iste motus, quo causa secunda movetur, debeat in ipsa causa antecedere actionem effectus, siquidem movetur ut agat, etiam apertissime tradit Scotus in I, dist. II, q. II, §. Ostenson, et dist. viii, q. v, §. Ad argumenta.

Tota difficultas consistit in expli-

cando istam motionem præviam, ut causa ipsa dicatur mota a Deo, et applicata ad agendum. Circa quod est maxima varietas, et concertatio Auctorum, quorum tamen sententiæ ad tria præcipua capita reduci possunt. Prima existimat non dari alium concursum, seu motionem distinctam a concursu simultaneo, qui dicitur esse motio causæ inferioris secundum quandam prioritatem virtutem, quatenus ille concursus est superior, et dignior, et a quo dependet concursus causæ inferioris, et ratione hujus dependentiæ et prioritatis dicitur causa secunda determinari, et applicari, seu præmoveri a prima, non tamen requiritur distinctus concursus imprimens aliquid ipsi causæ, quo actuatur, et compleatur ad agendum, nisi forte indigeat aliqua virtute, quæ a Deo, vel ab alia causa ibi conferenda sit, quia de se non habet sufficientem virtutem. Ita videri potest apud Patrem Suarez disp. xxii Met. sect. II; præsertim a num. xlviii, Fonseca v Metaph. cap. II, q. ix, sect. II; Molinam in concord. q. xiv, art. xiii, disp. xcvi; Bellarminum lib. I de gratia, et libero arbitrio, cap. xv et xvi et Lorcam I-II, sect. IV, disp. xxxv et sect. VI, disput. xx; Cabero in præsentibus, Martinez, et alios.

Secunda sententia est scholæ Scoti, qui simpliciter admittit præmotionem in causa creata antecedenter ad concursum simultaneum, non tamen constituit aliquid physice impressum ex tali motione in causa creata, sed Deum per solam efficaciam sui decreti quasi per quamdam sympathiam, et morale imperium movere causas secundas, sicut anima movet manum; hæc sola differentia servata, quod causam liberam movet mediante cognitione, cætera vero causas motione immediata. Ita videri potest apud Fuente

II Physic. q. v, diffie. III, art. III.

Tertia sententia simpliciter fateatur dari præmotionem distinctam a concursu simultaneo, quæ physice, et realiter ponit, et imprimat aliquid in ipsa causa inferiori, estque complementum, et applicatio ad agendum, non per modum virtutis in actu primo, sicut dantur habitus, sed per modum ultimæ determinationis, et applicationis actus primi ad secundum. Ita communiter Schola D. Thomæ et ejus discipuli, tam recentiores, quam antiqui; licet enim pro opposita sententia citetur ab aliquibus Cajetanus I p. q. xix, art. viii et Contrado I-II, q. lxxix, art. I, dum inquirunt primam causam non operari prævia motione, aut non præcedere motionem Dei voluntatem, cum aliquis vult; cæterum in his locis solum dicunt contra Scotum, quod non prius attingit Deus in aliquo instanti ipsum actum causæ secundæ, quam ipsa causa secunda. Quod vero causa secunda applicetur a Deo, et jungatur actui ut operetur, quod pertinet ad prædeterminationem, eisdem locis affirmant præfati Auctores paulo post illa verba, et Cajetanus etiam I-II, q. cix, art. II.

DICO ERGO PRIMO: Causæ secundæ antecedenter ad influxum, et actionem, qua producunt effectus, indigent aliqua prævia motione causæ primæ, qua applicentur ad agendum. Hæc conclusio sumitur ex locis D. Thomæ supra citatis. Ratio autem, et fundamentum sumitur ex duobus. Primo, ex indeterminatione causæ secundæ. Secundo, ex potentialitate ejus ad operandum. Et primum constat ex eo, quod causæ secundæ possunt producere diversos effectus, aliquando quidem diversos specie, sicut potentia cognoscitivæ et volitivæ, vel saltem diversos in individuo, ut quæcunque virtutes

activæ, neque enim virtus aliqua creata permanens datur solum ad unam actionem, et effectum, alioquin in illo producto evanesceret virtus, utpote jam otiosa, et ita solum se haberet per modum transeuntis, sicut virtus instrumenti, et quæcunque motio ad unum tantum actum. Imo in hoc præcipue differt concursus iste prævius, seu auxiliium efficaciter movens ab eo, quod solum dat sufficientiam, et virtutem, quod sufficiens non solum respicit unum actum in individuo, sed speciem actus, ad quem dat virtutem, efficax autem respicit determinationem in individuo. Omnis ergo causa creata de se indeterminata est ad diversas actiones, et effectus in individuo. Secundum vero constat, quia causa secunda ita est in potentia ad operandum quod indiget mutari in se, ut de facto operetur, siquidem non semper operatur in actu; ergo necesse est quod ut operetur, aliter se habeat; si enim eodem modo se habet, sicut antea, manebit in potentia operans, quia antea in potentia erat operans. Nec potest mutari per ipsam operationem, quia mutatur ut operetur, et operatio, non mutat agens active, sed passum, ut probatur in III Physic. et est manifestum, quia operatio non exit ab aliquo, nisi prout est in actu, unumquodque enim operatur prout in actu, et patitur prout in potentia; ergo in quantum operatur agens non mutatur a sua operatione effective, sic enim pateretur in quantum operans, ergo si mutatur, est antecederet ad actionem.

Ex quibus principiis deducitur necessarium esse aliquam motionem præviam in omni causa creata antecederet ad ejus actionem, et concursum simultaneum Dei, quia omnis causa creata indiget aliqua mutatione ad hoc, ut operetur, quia est indeterminata ad hanc, vel illam

actionem in singulari, et est in potentia ad operandum, cum non semper actu sit operans, ergo indiget ab aliqua causa reduci in actum, et determinari, siquidem a causa existente in potentia, et indeterminata non exit effectus in actu, et determinatur, sed non potest a se ipsa determinari, et immutari, neque ab alia causa creata, neque a concursu simultaneo Dei, ergo ab aliqua motione prævia. Non a se ipsa, quia est in potentia ad agendum, et indeterminata, ergo non potest se reducere de potentia in actum, quia sic deberet supponi in actu determinante, unumquodque enim reducit de potentia in actum per aliquem actum; et si supponitur esse in actu, ut se moveat, rursus iste actus non est primo se movens, sed motus ab alio, alias esset movens non motum, quod est Deus. Neque per ipsam operationem, ad quam movetur potest reduci de potentia in actum, quia ista operatio est id, ad quod ipsa causa indiget determinari, et applicari; ergo implicat quod per ipsam applicet, et moveat ad se ipsam, nec potest ista applicatio, et motio fieri ab alia causa creata; quia licet requirantur plures conditiones procedentes a causis creatis, ut determinetur aliqua causa, tamen omnes illæ causæ cum sint creatæ, sunt etiam in potentia ad operandum, et indigent simili applicatione et motione; et cum non sit processus in infinitum, oportet, quod tandem a Deo fiat ista motio et applicatio, et sicut fit in illis causis, ita et in reliquis aliis, quia omnes æque subiciuntur Deo; præterquam quod etiam positis omnibus illis conditionibus aliqua causæ adhuc manent indeterminatæ ad agendum, ut causæ liberæ, aliæ non sufficienter determinatæ ad hanc numero actionem, vel effectum: ergo oportet quod hæc determinatio

tandem reducatur in Deum, ad quem pertinet dare ultimam actualitatem ad operandum. Nec sufficit concursus Dei simultaneus, quatenus dignitate, et perfectione prior est, quia ista major dignitas et perfectio, vel reddit causam creatam reductam de potentia ad actum, et determinatam ad operandum, vel non; si non reddit, manet causa tam indisposita ad operandum sicut antea, utpote non sublata potentialitate, et indeterminatione: si vero reddit determinatam, ergo jam non est solum concursus simultaneus, id etiam prævius, quia habet effectum prævium, scilicet in ipsa causa movendo illam ante actionem et effectum. Quare simultaneus concursus quatenus simultaneus cum non influat, nisi in effectum et identificetur cum actione causæ creatæ, non magis potest ipsam causam creatam actuare, et movere, quam ipsamet actio causæ creatæ.

Dico SECUNDO: Hæc applicatio, et prævius concursus aliquid physicum relinquit in causa quam movet, et non solum est assistentia extrinseca, vel moralis motio, aut sympathia. Deducitur ex locis D. Thomæ supra citatis, præsertim q. III de Potent. art. VII ad 7 et I-II, q. CX, art. II ubi inquit: « Ex motione Divina relinqui motum in anima, quia actus moventis in moto, est motus. » Et I-II, q. LXXIX, art. II, inquit: « Quod omnis actio causatur ab aliquo, quod est in actu, quia nihil agit nisi secundum quod est in actu, omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet in Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus, unde relinquitur quod Deus sit causa omnis actionis, in quantum actio est; » ubi non loquitur S. Thomas de concursu simultaneo, quia iste non est causa actionis, sed idem cum ipsa actione, et solum est causa effectus, loquitur

ergo de concursu prævio, qui est causa actionis creatæ, sed dependentia actionis ab eo, quod est in actu, non est dependentia moralis, vel metaphorica, sed physica, et fundatur in reductione entis in actu ad primum actum, qui est Deus, quæ reductio est physica secundum veram, et realem causalitatem, et dependentiam omnis entis a primo ente, quæ dependentia moralis non est, ergo S. Thomas non potest intelligi de causalitate morali, et metaphorica, sed de physica.

Et fundamentum speciale hujus conclusionis est, quia ex vi illius sympathiæ, aut voluntatis efficacis Dei ad intra, vel resultat aliqua mutatio ad extra in creatura, vel non; si resultat, ergo non est mera assistentia extrinseca, et moralis sympathia, sed realis, et vera mutatio tanquam effectus impressus a Deo ad extra; si non resultat aliqua mutatio, ergo totum intrinsecum hujus causæ creatæ manet ita immutatum sicut antea, et cum antea esset intrinsece in potentia, et indeterminata, etiam post illam extrinsecam assistentiam, in eadem potentialitate, et indeterminatione intrinseca manebit, ergo a principiis intrinsecis talis causæ creatæ non poterit dimanare actio, quantumcumque ponatur illa extrinseca assistentia; sed non dicitur causa creata agere nisi ab ejus intrinseca virtute, et potentia dimanet actio, quia ipsa virtus intrinseca est quæ dicitur agere, ergo si per illam sympathiam et assistentiam extrinsecam nihil de intrinseca potentialitate tollitur, non remanet causa illa intrinsece disposita ad agendum.

Nec obstat exemplum de sympathia, et motione, quia manus movetur ab anima, tum quia adhuc est incertum, an ista motio fiat per aliquam impressionem physicam; tum etiam quia est longe dispar ratio,

quia potentia manus motiva, et voluntatis imperativa radicantur in eadem anima, et sic non requiritur quod una influat in aliam, seu sufficit quod anima in utramque, Deus autem est principium movens extrinsecum, in quo non inheret virtus creata, unde oportet quod ipse influat hanc motionem in causa creata, præsertim quia hoc quod est causam creatam esse motam, et applicatam ad agendum, est aliquid novum in rerum natura, et non per aliquid novum ex parte Dei, quia est immutabilis, ergo per aliquid novum extra Deum, et non nisi in causa creata, ergo oportet, quod illa realiter, et physice sit mota a Deo.

Nec sufficit concursus simultaneous Dei, ut dictum est, tum quia iste concursus simultaneus non movet causam, sed solum est ad effectum; tum quia est idem cum actione creaturæ, et sic non magis movet creaturam quam ipsamet actio ejus, quæ non potest movere causam, a qua egreditur ut agens est, sed passum, in quo recipitur; tum denique, quia simultaneus concursus non subordinat causam creatam Deo, sed effectum, et propter dependentiam effectus a causa prima, datur concursus simultaneus, ergo ex vi illius non potest Deus efficere quod causa secunda agat, sed solum poterit impedire effectum, si non velit dare concursum, non vero inclinare causam, et facere ut operetur.

Et ex hoc profundius aperitur necessitas ponendi istum concursum prævium, etiam pro aliis materiis theologicis. Nam si solum causa secunda est dependens a Deo ratione concursus simultanei, quatenus non potest effectus fieri, nisi dependenter a Deo, non tamen quia in ipsam causam Deus imprimat, et moveat ut operetur, sequeretur

quod in producendo isto effectu causa secunda debeat Deus expectare operationem causæ secundæ, ut efficaciter velit ejus effectum, nec possit ex sua propria virtute facere, quod causa secunda efficiat nisi medianlibus aliis causis, per quas talem causam moveat, et inclinet, v. g. solum media persuasione, aut propositione objecti, quod totum morale est et contingens non simpliciter, et infallibiliter efficeat, licet possit impedire effectum si velit, suspendendo concursum suum. Quod exemplo potest fieri manifestum. Sit enim casus, quod Deus velit Petrum elicere actum amoris, vel assensum fidei, qui actus non potest a solo Deo fieri, sed simul a causa secunda, si illa causa secunda non subordinatur Deo nisi ratione effectus exequendi, non vero ex parte ipsius causæ, quia debet moveri a Deo ut actum eliciat, ergo non poterit Deus vel illum effectum, nisi expectando, quod ipsa causa secunda velit, et cooperetur, si dederit Deus simultaneum influxum, quia talis influxus non est in causam ut velit, sed in effectum, in quem influit simul cum influxu ipsius causæ secundæ, non ergo habet potestatem in causam secundam, ut efficiat, sed in effectum si causa secunda etiam efficiat; unde nisi ipsa causa secunda velit, frustra ille concursus simultaneus operatur, imo non operatur cum sit idem cum influxu ipsius causæ secundæ, et sic frustra Deus miserebitur, nisi nos velimus, quod expresse negat Augustinus lib. I ad Simplicianum, q. II. Et non minus dicitur, quod est Dei miserentis, quam hominis volentis, et currentis, quod tanquam magnum absurdum infert Augustinus in Enchiridio, cap. XXXII: « Si recte, inquit, dictum est, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas homini sola non implet,

cur non et e contrario recte dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? » Quod tamen, ut ibi subdit: « Nullus Christianus dicere audebit. » Qui autem solum ponunt concursum simultaneum, et non prævium in ipsam causam, quæ præparatur, seu applicatur a Deo, non possunt dicere quod est solius Dei miserentis, sed etiam hominis volentis, quia scilicet ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis, et misericordia Dei, et quousque velit homo, non sufficit inclinare illum concursus simultaneus, qui cum ipso actus identificatur, non ad illum inclinatur.

Dices: Sufficere solum misericordiam Dei, non ratione prævii concursus physici, sed moralis, id est, mediante aliqua cogitatione moraliter inclinante. Sed contra, tum quia in aliis causis, quæ non operantur cognitione, hæc moralis inclinatio locum non habet, et habet locum argumentum factum, quod Deus sua virtute non poterit inclinare causam contingentem, verbi gratia, aut necessariam ad operandum nisi mediis causis, aut virtute creata; tum quia illa moralis motio de se fallibilis est, et contingens, nec nisi extrinsece allicit, ergo ut certo moveat, expectat volitionem nostram, nec nisi dependenter ab ea certam habet motionem, et inclinationem; ergo perinde est recurrere ad hanc motionem ac dicere, quod expectat Deus voluntatem nostram, et frustra miseretur, nisi nos velimus, quantum ad certitudinem movendi.

Scio non deesse, qui concedat in hoc concursu, quo Deus cum causa secunda operatur, dependere Deum quodammodo a creatura in operando, in hoc sensu quia actio Dei, qua cooperatur creaturæ ab ea sane dependet, ergo etiam Deus, ut ea ope-

rans, quod expressis verbis concedit Martínez Physic. q. IV, in tertio consecutario, et oppositum sentientes stolidos vocat. Sed soliditatem hanc parcamus, scriptum est enim: *Qui contumeliam profert insipiens est*, Prover. X. Excessit autem ille Auctor attribuens actioni Dei, qua cooperatur, dependentiam a creatura, licet enim identificetur concursus Dei cooperativus cum actione creaturæ, non tamen ut dependens a creatura, quia non causatur a creatura, sed a solo Deo, non potest autem dependere a creatura, nisi ab ea aliquo modo causetur, vel derivetur aut esse ab ea accipiat, cum e contra sit, quia creatura et ejus operatio, a Dei actione pendent illique subjiciuntur. Cum autem non ponat prævium concursum in creaturam, sed solum simultaneum, si in hoc dependet Deus a causa creata in operando, omnino destruitur subordinatio causarum a Deo, et inciditur in illo inconvenientia toties a B. Augustino explosa, frustra Deum misereri, si homo non velit; siquidem Deus non habet alium concursum, quam simultaneum apud hunc Auctorem, et in hoc non solum expectat, sed dependet a creatura ut habeat effectum volendi. Nec apparet, quomodo salvetur illa doctrina catechismi Pii V par. I de primo Symboli, art. n. XXII, ubi dicitur: « Non solum Dominus universa, quæ sunt providentia sua tuetur, atque administrat, verum etiam quæ moventur, et agunt aliquid intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediatur, præveniat tamen cum ejus occultissima vis ad singula pertineat. » Cum quibus verbis nescio quomodo stant verba hujus Auctoris in primo consecutario, scilicet causam primam, et secundam usque adeo simul concurrere in effectum, ut neutra alteram

præcedat. Cur ergo credemus huic Auctori dicenti: « Neutra præcedat, » an Pio v, dicenti: « Ita impellit, ut præveniat. »

DICO TERTIO: Prævius iste concursus realiter movens causam secundam non est qualitas aliqua per modum virtutis in actu primo, nec aliquis actus seu effectus ab ipsa causa secunda procedens, quo se moveat ad alium actum; sed est quædam motio Dei, non dans activitatem, sed activitatis applicationem ad effectum, et si est qualitas, est per modum motionis, et transeuntis. Pro istius conclusionis intelligentia est advertendum, varias esse sententias etiam inter Thomistas, de isto prævio concursu, seu motione, quid sit, et præcipue ad tres reducuntur. Quidam ponunt non esse aliquid creatum, et de novo productum in creatura, sed solum decretum seu voluntatem Dei efficacem extrinsecus assistentem, quo statim movetur creatura, quasi quadam sympathia, et naturali subiectione ad Deum. Alii distinguunt de causa libera et hanc secundam dicunt præmoveri motione aliqua, seu qualitate recepta in ipsa creatura: liberam vero in his, in quibus se ipsam movet, priorem actum, quo excitatur voluntas dicunt esse motionem præviam ad secundum, ad quem excitatur: primus vero actus, quo excitatur est ex motione Divina, ipse autem actus excitans, elicited a potentia. Tertii dicunt, istam motionem absolute in omnibus causis esse aliquam motionem a Deo derivatam, seu qualitatem per modum motionis, qua virtus creata applicatur ad suam operationem tollendo indeterminationem, et potentialitatem ejus ad operandum.

Inter has sententias hæc ultima est certior in sensu D. Thomæ. Prima enim jam supra impugnata est, et potest applicari illi ratio, qua probat

D. Thomas II-II, q. XXIII, art. II, contra Magistrum, charitatem non esse ipsum Spiritum Sanctum, sed aliquem effectum ejus in anima, quia charitas secundum Augustinum est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, sed motus animi est aliquid creatum in anima; ergo et charitas; quæ probatio omnino deficit, si Deus solo suo decreto efficaci, sine aliquo de novo producto sufficienter potest aliquam causam movere. Quare sicut Deus ad constituendam aliquam causam in actu primo operativam, non potest id facere solo suo decreto non ponendo aliquam virtutem in causa, ita ad applicandum, et movendum causam istam, et virtutem ad actum secundum, non sufficit decretum Dei prout æternum, sed aliqua mutatio ejus in tempore.

Secunda vero sententia deficit; tum quia in causis naturalibus, de quibus in præsentibus agimus, coincidit cum tertia sententia: tum etiam quia in causis liberis etiam respectu actuum deliberatorum, non sufficienter procedit, quia illic primus actus voluntatis non potest esse ipsa operatio, et causalitas Dei, procedit enim et elicitur a creatura, et consequenter non potest procedere sub illa universalitate, et illimitatione, qua procedit a Deo, sed est id, quo causa creata in suo genere, se movet, scilicet per modum moventis creati, quæ motio non est confundenda cum motione qua movetur a Deo. Et præterea vel ille actus, ut elicitur a creatura, habet omnimodam infallibilitatem ad actum sequentem, vel non. Si non habet, ergo non est motio, et auxilium Divinum, quia hoc infallibiliter movet, cum sit operatio causæ infallibilis, alioquin ad cognoscendum infallibiliter actum sequentem non sufficeret Deo inspicere virtutem, et concursum suum, sed ipsam creaturam,

ut a qua dependeat illa infallibilitas, quod negant isti Auctores. Si vero habet infallibilitatem, ergo redditur infallibilitas Divini concursus ex causa creata, siquidem est infallibilis ille actus, prout elicitur a voluntate creata, et non ratione alicujus superadditi a Deo, quod est impossibile cum illud principium sit mutabile, et contingens, non infallibile, et certum, imo ad cognoscendum aliquid infallibiliter non inciperet Deus ex decreto suo, et auxilio, sed ex ipsa operatione causæ creatæ, siquidem ab ipsa infallibilitate habet, quod est præscire effectum antecedenter ad decretum.

Quare relinquitur tertia sententia, quæ sine dubio est D. Thomæ qu. III de Potent. art. VII ad 7, ubi inquit: « Quod virtus naturalis, quæ est rebus in sua constitutione collata, inest eis ut quædam forma habens esse ratum et firmum in natura, sed id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agit, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis. » Et I-II, quæst. CX, art. II, dicit: « Quod istud auxilium non est qualitas, sed motus quidam animæ, quia motus moventis est in motu. » Ubi nomine motus non intelligitur esse actus elicited, sed aliqua inspiratio recepta ut eliciatur, quia motus in mobili recipitur, non elicitur, ut motus est. Similiter nomine qualitatis intelligit qualitatem permanentem, et quasi habitualement, non autem negat esse qualitatem per modum motionis transeuntis, sicut virtus instrumenti, et colores in aere, qui non sunt motus, nec potest esse motus ad qualitatem quasi via, et tendentia ad ipsam, quia sic illa motio Dei haberet terminum ad quem tendit, qui esset causalitas per modum permanentis, et sic permanen-

ter causa secunda esset applicata ad operandum, neque apparet quænam esset illa qualitas sic producta: si ergo non est motus ad qualitatem, restat quod sit qualitas per modum motus.

Quod si inquiras, quem effectum formalem habeat ista qualitas, seu motio, respondetur istam motionem neque posse esse actum secundum, scilicet operationem ipsam causæ creatæ, siquidem ista motio est prævia ad talem operationem, et movet ad illam, non ergo est ipsa actio causæ creatæ, hæc enim non potest movere causam ut agentem, sed passum. Similiter non potest esse virtus per modum actus primi, hæc enim datur per modum permanentis in ipsa causa, vel saltem per modum sufficientiæ, ita quod sine ipsa, causa non est sufficienter constituta in ratione principii operativi, nos autem loquimur in præsentibus de concursu prævio supponente causam sufficienter potentem, et virtuosam ad agendum, et sic iste concursus non dat virtutem in actu primo. Unde in hoc præcipue distinguitur auxilium dans sufficientiam, et dans efficaciam, quod sufficientia dat virtutem in actu primo, quæ respicit non aliquid actum in individuo tantum, sed ipsam speciem actionis et ita deservit pro aliis actibus in singulari. At vero prævius iste concursus determinatus ad actum individuum in singulari, et sic non dat virtutem in actu primo, quæ deserviat ad varia individua. Unde restat, quod sit applicatio quædam actus primi ad secundum, sicut applicatur, et conjungitur instrumentum ad operandum effectum principalis agentis; quo nomine etiam ipsam declarat S. Augustinus lib. I ad Simplic. quæst. II, inquit: « Non defuisse Deo modum, quo mentem Esau ad credendum applicaret, voluntatemque conjungeret. » Sed est